

Arcum distantiae circuli magni per duas stellas transeuntis, capere.

Arcum hunc colliges, per tabulam Gnomonicam, quæ in Quadrato Geometrico Magi, Georgij Beurbachij ponitur, & per regulam proportionum uulgatissimam de Tri, hoc modo: Duc numerum maximum tabulæ Gnomonicæ, scilicet 1200, in Sinum primum modo repertum, scilicet CD, & productum diuide per Sinum secundum scilicet, AB, abscisum per lineam fiduciæ pinnacidij, quod demum productum mitte in tabulam Gnomonicam. Nam arcus graduum & minutorum &c. ibidem repertus, arcum distantiae inter duas stellas obseruatas tibi com- monstrabit. Vt exemplo: Anno Christi 1475. fluente 17. die Octobris de mane inter horam secundam & tertiam, post noctis medium, obseruauit uenerabilis se- nex Bernhardus Vualther ciuis Norinbergen. Instrumento trianguli distantiam Martis & Saturni, & reperit Sinum primum 210 partium. Sinum uero secundum partium 807. Per hos Sinus ita procede iuxta regulam proportionum. Dicendo 807 partes fusti, id est, Sinus secundus, dat partes 210 pinnacidij, id est, Sinum pri- mum, quid dabunt partes tabulæ Gnomonicæ, scilicet 1200. Duco igitur partes Sinus primi, scilicet 210, in partes tabulæ Gnomonicæ, scilicet 1200, facit 242000. Has partes diuido per Sinum secundum, scilicet 807, & ueniunt, $312 \frac{316}{807}$. Qui- bus respondent ex tabula Gnomonica gradus 14. mi. 35 ferè, Arcus inter h & ☿ tempore obseruationis &c. Hac etiam uia quæritur Diameter Cometæ, Solis & Lunæ.

APPENDIX IOANNIS SCHONERI, in annotationem, de radio Astronomico.

Pagina 35, sic scribitur.

Nam lineæ sic procedentes ab A centro uisus, & terminatæ ad stellas, causant Triangulum Isoscelem, seu æquicurium.

Nam huiusmodi lineæ duæ, unâ cum chorda subtensa ipsi arcui distantiae stella- rum, efficiunt Triangulum Isoscelem, seu æquicurium, duorum tantum æqualium laterum, cui omnino similis, non dico æqualis per secundam sexti, Euclidis est Tri- angulus quem constituunt duæ uisuales lineæ ab A ad utramq; pinnacidij extremitatem, terminatæ unâ cum pinnacidij linea, tanquam basi Trianguli ACD.

Sequitur, Et numerus partium brachij sic quiescentis in fuste Sinum primum insinuat. Numerus autem in fuste ab oculo A, ad usq; lineam fiduciæ, ubi clauiculi sunt, Sinum secundum denotabit.

Productus Isosceles Triangulus ACD, mediante linea ab oculo A ad pinnaci- dium CD, per medium fustis producta, in duos similes & æquales orthogonios Tri- angulos diuiditur, quorum uterq; tribus lineis constat, uidelicet radio uisuali ab ocu- lo ad extremitatem pinnacidij producto, tanquam Hypothemisa anguli recti, cuius mensura in hoc negotio negligitur, & medietate pinnacidij tanquam Sinu recto eius arcus, qui est medietas distantiae stellarum. Et linea ab oculo per medium fustis ad pinnacidium usq; producta tanquam Sinu complementi prædictæ medietatis arcus distantiae stellarum, quem secundum Sinum nominant, sicuti priorem illum Si- num semiarcus distantiae stellarum, Sinum primum uocant.

Sequitur.

